

AK
402
5.

(X1883910)

II m
1860

I. N. J.
DE

FOEDERE SVEVICO

vulgò

Von der Gesellschaft
des St. Georgen = Schilds

DEO O.M. BENIGNISSIME ANNUENTE

^{AC}
*Amplissimo Ordine Philosophico benivolè
Consentiente*

IN ILLVSTRI ACADEMIA SALANA

DISPVTAVENT

ad d. V. Febr. A. O. R. MDCXCVI.

PRÆSES

M. GEORGIVS JACOBVS MELLINVS

LINDAVIENSIS

&

RESPONDENS


IOH. SEBASTIANVS HELDIVS

DÜNCKELSPÜLA SVEVVS,



J E N Æ,

LITERIS GOLLNERIANIS.



26





I. N. J.

PROOEMIUM.

Nsigne prorsus ac dignum est, cum quo
coeptum ordiamur laborem, elogium, quod
olim jam Germanæ gentis virtuti scripse-
rat Tacitus, testis ejus omni laude major.
*Regno, inquit, Arfacis acrior est Germania
libertas.* Scilicet quod mutis etiam animantibus natura
dedit, id inter omnes gentes plurimi faciebant Germani,
ac ita ubivis vitam corpusque servabant, ita fortunas, ita
rem familiarem, ut hæc semper posteriora libertate duce-
rent. Possem hoc edocere exemplis pluribus, nisi ejusdem
virtutis vestigia extantiora latè, & apud omnis ætatis ac
nationis posteros mansissent. Solos nunc dicam Svevos.
Quis nescit ingratham huic quondam genti quietem, quod-
que inter ancipitia maxime clarescere voluerint. Hinc
etiam supra laudato Tacito attestante, medio tam longi æ-
vi spatio, quo à Romanis vincebatur hæc natio, ingentia
invicem damna. Iam enim finibus suis ingruentes hosti-
um copias arcere, nunc eos in sedibus suis percellere, mox
expugnatis legionum hibernis Gallias ipsas affectare sunt
ausi, modo ne otia propugnata hætenus libertatis studia
restingverent. Iisdem deinde ad Tolbiacum à Clodoveo
devictis, ac mox in alpium jugis penitus debellatis insidi-
osa pacis conditio videbatur, & lex servitutis: unde ho-
neste mori ac pati vel difficillima malebant, quam servi-
re plerique omnes. Pauci admodum ex prima Nobilitate

neceffum habuerint. Ad prædam hiantes hostes ancipiti
eas premebant loco, & tamen libertatis recuperatæ quin-
gentorum, & quod excurrit, annorum, si non fecura, certe
ad invidiam felix possessio. DEO Opt. Max. summæ curæ
fuisse fatendum omnino est. Sed & sapientia & fortitu-
dine opus hîc fuisse, quis non credet? utraque strenuò fu-
isse usos nemini dubium esse poterit, qui quod hanc vitam
habuerint, cogitabit, & quod ad exempla majorum sapius
omnia pro libertate projecerint, velut pignora injuriæ; il-
lâ vero quod nihil ipsis fuerit antiquius, ex hoc æstimabit,
quod dulcius apud ipsos pacis, quam belli nomen semper
fuerit, ac id propter cautioribus etiam consiliis, quam ma-
jores sui, illi providerint. Patet hoc ipsum, ut ex aliis
multis, sic in primis ex foederum ratione, quam civitates in
Suevia liberæ inter sese sapius iniverunt; maximè autem
omnium utramque virtutem probavit Foedus illud Συμμα-
χικόν, quod triginta & plures ejusdem Sueviæ civitates cum
pluribus Principibus & Dominis pacis publicæ & societatis
ergo pepigerant sub exitum seculi post Christum natum
XV. quove non aliud factum vel nationi gloriosius, vel o-
mni imperio utilius, vel denique rerum gestarum momen-
tis celebratum magis in recentiori occurrit historia. Illud
ipsum de cujus fatis, & argumenti præstantia & patriæ hi-
storiæ amore ducti, pro temporis & documentorum huc
facientium ratione, paucis præsentî dissertatione dispicere
animus est. Annuat Deus cœptis, & faxit vergant ad sui
nominis gloriam, patriæq; meæ honorem!

D E

FOEDERE SUEVICO.

I. Ex votis Imperii, nec sine Numinis divini auspicio an-
no Christiano millesimo, quadringentesimo, octogesimo &
octavo SUEVICUM cœpisse FOEDUS, neminem fore pu-
tamus

tamus, qui inficias iverit, nisi fortassis expertem omnium illorum, quæ ea tempestate agebantur. Deploranda pluribus retro annis erat S. Imperii facies, sive privatos spectes focos, sive leges publicas & jura libertatis. Principes potentiores civile bellum, Nobiles hinc inde per agros palantes depopulatio ac cædes, omnes fere discordia delectabat. In publicum nota sunt, & posteritati scripta tradidit Bilibaldus Birckheimerus, Maximiliano olim ac Carolo V. Impp. à consiliis, vir toga & sago clarissimus *lib. II. de Bello Helvet.* apud Freherum *Tom. III. Script. rerum German. p. 57.* conf. Nauclerus *Vol. II. Chronogr. Generat. L. fol. 975.* non solum quæ Maximiliano ob Mariam Burgundicam Gallus facefferit negotia, sed & quomodo ipsimet Principes Duces Bavariæ Albertus & Georgius in viscera Imperii sævierint, adeo quidem, ut viribus suis & occasione freti, nihil non adversus Cæsarem, quem sede sua & omni Austriâ à Matthia Hungarorum Rege nuper pulsum spernebant, & inprimis liberis Imperii civitates auderent. Albertus, ut idem ille tradit, nemine resistente, civibus deditibus, Ratisponam occupavit: Georgius vero ob immensam auri argentiq; quam collegerat, copiam clarus, propter exercitoy hostiles vero, quos conscripserat, potentioribus etiam timendus, infestus universæ Sueviæ liberæ, urbium ad se Legatos audire noluit: verbo, regnandi libidine incensus uterque ad opprimendam statuum minorum libertatem rapiabantur. Hæ autem ipsæ & plures aliæ calamitates tristibus apud Cæsarem querelis, querelæ, autem comitiis, quibus tandem optimus Imperator Fridericus III. malis omnibus mederi voluit, ansam dedere.

II. Indixerat comitia Francofordium anno **CIOCCCCXXCVI.** ubi ad mandatum ejus convenerunt Principes Electores omnes, Proceresq; Imperii plurimi. Horum unanimi consensu mense Martio ejusdem anni, postquam
prios

prius cunctis Septemvirum suffragiis Maximilianum filium Imperii fecerat consortem, legem tulit Fridericus de pace publica, *qua universis & singulis sacro Imperio subiectis mandavit, ut pacem invicem per integrum servarent decennium, nemo alterum in persona aut rebus offenderet via facti.* Et quod contrarium facientes, cujuscunque gradus, status, aut præminentia essent, cum sibi adherentibus, consilium, auxilium aut favorem præstantibus, ipso jure & facto bannum Imperiale incurrerent, ita ut possent nulla præmissa declaratione in personis suis ac rebus impune offendi à quocunque, tanquam violatores pacis promulgatae, non obstantibus quoad præmissa quibuscunque constitutionibus, statutis, consuetudinibus, legibus ac societatibus juramento, vel quacunque confirmatione roboratis, uti summam legis recenset Joh. Nauclerus *l.c. fol. 980.* Nec dubium est, quin finem obtinuisset Imperator, si omnes Germaniæ status æquo animo legem hanc fuissent secuti: sed nec Nobiles, qui raptu hætenus vivere assueti, dicto audientes erant, nec Principes jam nominati, animum exuebant veterem, exosum Suevis. Unde ne sic quidem satis cautum libertati suæ plures credebant, & ipse Cæsar quovis modo paci consulendum ratus.

III. De foedere igitur cum ordinibus S. R. Imperii ineundo non multo post cogitasse, haud inanis est suspicio. Frustra autem diu laborasse eventus docuit. Nunquam enim in unum omnes cogi potuerunt. Suevi ergo, quorum maxime intererat, auctorem admiscere Fridericum, & quam reliqui recusarunt, inter sese fecerunt societatem: ex cujus titulo eosdem hostes & amicos posthac habendos decreverunt. Confer, quos supra laudavimus, Joh. Nauclerum, & Birckheimerum, æquales illorum temporum Scriptores: Ex recentioribus autem celeberrimum jure Consultum, Joh. Strauchium, *Exoteric. Diff. X. de ejectione & restitutione Ducis VVirtenb. n. III.*

IV. Et

IV. Et hæc ipsa illa est, quæ sub FOEDERIS SUEVICI nomine hæctenus nobis celebratur. Cujus postquam cognovimus occasionem, de Fœdere ipso jam dicemus. Hic autem ante omnia, monendos ducimus lectores, ne quid sibi ex Actis, quod ad foundationem fœderis attinet, à nobis polliceantur. Fatendum enim est, apparatus illum tenuiorem, cujus in disitis his à Suevia terris copia haberi potuit, nondum votis nostris respondisse, nec nisi cum paucis quibusdam, attamen coævis, annalium scriptoribus rem fuisse habendam. Unde est quod de constitutione ipsa non satis certa dare possumus. De Autore tamen Friderico ex dictis constat. Quamvis & de hoc aliter sentiat Crusius *Ann. Suev. P. III. lib. IX. cap. I.* scribens: *Suevi impulsu Regis Maximiliani, quem Berchtold. Archiepisc. Moguntino impulerat, ob tuendam mutuam pacem & quietem fœdus quoddam incunt: sese tamen mox ex literis corrigens: inveni in quibusdam literis, per Imperatorem Fridericum procuratum, post pacem comitiis in Imperio Francofordianis firmatam.* Quibus respondent Naucleri verba ad annum MDCCCXXVI. *Hæc pax postquam publicata fuit per Imperium à multis extitit recepta, & præsertim à Suevis, qui sequenti anno ad Mandatum Imperatoris Majestatis in societatem vigore pacis hujusmodi coierunt &c.* Communiter, quo ratum sit habitum fœdus, annum assignant millesimum, quadringentesimū, octogesimum & octavum. Vide sis Stumpfium in *Chron. Helv. lib. II. c. XXXVII*, Crusium *l.c.* & alios. Mensem & diem ignoramus, nisi fortassis recte colligas ex capitulis fœderis innovati anno MDLXXII. in quibus computus annorum, in quos postrema fœderis prorogatio facta à festo Purificationis Mariæ, sive 2. die mensis Februarii, anni MDLXXII. cœpit, eodem olim rursus finiendus. Hortlederus *de causis Belli Germ. lib. III. c. IV.* Circa Festum apparitionis Christi

anni

IV. VI

anni MCCCCXXCIX. omnino confirmatum fuisse auctor est Georgius Dux Bavariae apud Crusium P.III. lib.IX.c.II.

V. Locus, ubi primum constitutum est foedus ex Chronicis ferè incertus redditur. Crusius ex aliis utramq; Norimbergam & Augustam Vindelicorum refert l.c. Ita enim verba habent: *Suevi anno 1488. foedus quoddam Norimbergæ (al. Augusta) ineunt: & eadē paginā: Alicubi in hanc sententiam de eo scriptum reperi. Anno 1488. Caesar Fridericus Augusta fecit communem in Suevia pacem omnium ordinum confederatione.* Sed prorsus nobis videtur temporis rationem confudisse Crusius. Si enim ad hanc rectius attendemus, forte utraque Imperii urbs gloriae, si quæ inde expectari potest, particeps erit. Scilicet quod ipse Crusius notavit, *Ann. Sued. P.III. lib.VIII.c.XXI.p.472*, anno jam superiore comitia pacis per Imperium firmandæ causa à Friderico Imperatore Norimbergæ sunt repetita, in quibus etiam, si Nauclero credimus, unionis hujus à Cæsare facta est mentio, nihil tamen ad summam rei transigi potuit, uti id animadvertit B. Strauchius *l.m.* Observatu autem dignum est, quod Nauclerus scribit, *Fridericum communitates imprimis urbium Imperialium adesse voluisse: forte ut salutis suæ rationem haberent, eique consulerent.* Et sane hic omnino videtur evenisse, quod *n.III.* auctoritate maxime Strauchii, de consultatione Friderici cum missis & Legatis urbium, & sancito tandem foedere diximus. Potuit autem, quod hoc anno Norimbergæ apud animum suum statutū habebant Proceres, in sequenti Augustæ statutis atq; legibus, quæ in jurejurando firmari. Quid sit factum, Acta utriusque urbis publica certius, quam Chronica, edocere possunt.

VI. Convenisse inter se maxime Sueviæ Civitates, hætenus dictum est. Jussi autem sunt eodem adhuc anno Nobiles, omnesque alii circuli hujus ordines cunctantes, literis ab Imperatore Antverpiâ datis, ut sese foederatis

B

adjun-

adjungerent, aut in Friderici incurrerent offensionem. Singulatim autem evocatos à Cæsare Equites ac Nobiles Kraichgovienses octo & viginti, videre est apud Crusium *l.c.* ubi singulorum nomina ex literis Cæsareis summo studio descripsit. Præter hos successu temporis Principes & Prælati Germaniæ superioris multi, civitates etiam vicinæ, tabulis fœderis hujus subscripsere, notante hoc post Birckheimerum, Joh. Pedio Tethingero II. *Commentariorum VVirteberg.* apud Schardium *Tom. II p. 923. sq.* Syllabū potentiorum produxit Sleidanus *IV de statu religionis, sub finem*: ubi plurium meminit, quorum nomina postea vel fati violentia, vel mortis catalogo subtraxit, qui capitulis ultimū renovati fœderis præfigitur, apud Hortlederum *lib. 3. c. 4.* Ut autem, cum de omnibus non possit, saltem de iis constet, qui societatem hanc postremi coluerunt, adductum tabularum laudatarum numerum inibimus.

VII. Primi igitur Cæsares ac Romanorum Reges nobis dicendi, atque ex his demum quidem Carolus V, & frater ipsius Ferdinandus, tanquam Archiduces Austriaci, & Duces Wirtenbergiæ. Hos in ordine excipit Albertus, Cardinalis, S. sedis Moguntinæ & Magdeburgensis Archiepiscopus &c. Sequuntur Episcopi, Würzburg. Aichstettenf. & Augustanus, quibus ratione arcium quarundā ad Lacum Bodamicum accessit paulo post Hugo, Episcopus Constantiensis. Ex secularibus, non nisi Wilhelmus & Ludovicus, Comites Rheno-Palatini, Duces Bavariæ, fratres, & Philippus Hassiæ Landgr. nominantur. Porro recensentur Decani & Capitulares, Moguntini, Herbipolenses, Aichstettenses, Augustani; Abbates XIII, quos inter Princeps Campidonensis; Abbatissæ tres; Comites, Barones, Equites Nobilesq; magno numero. Denique XXX. liberæ Imperii Civitates, quarum nomina nec nos piget adscribere. Sunt autem Augusta Vindelicorum, Norimberga, Ulma, Eslinga
Reutlin-

Reutlinga, Noerolinga, Halla Suevorum, Uberlinga ad lacū Bodamicum, Gemundium, Memminga, Biberacum, Ravensburgum, Hailpronna, Kaufbira, Dünckelspüla, Wimpina, Windsheimium, Campodunum, Werda, Isena, Pfulendorfum, Weila, Vangena, Leutkircha, Aulia, Gienga, Bopfinga, Buchorna. Nemo non videt quasdam aut excidisse prorsus societate, aut ad renovandam illam non vocatas esse: Lindavium dico & Constantiam, quæ, quod deinceps ostendemus, sub initia foederis sociis arctissimo junctæ erant vinculo. Sed nec Palatini Electoris, nec Salisburgensis Præsuljs, nec Bambergensis Episcopi mentio hic facta: imo defunt ex Principibus, Otho, Henricus & Philippus, Palatini; Georgius etiam, & Albertus ex fratre nepos, Brandenburgici, & plures quorum nomina legas apud Sleidanum, loco citato, necesse est. Confer interea *die Eilffjährlige Einung des Bundes zu Schwaben/* apud Hortlederum, l. m.

VIII, Utut autem foedus hoc longe lateq; fuerit porrectum, & nunc hos, nunc alios admiserint in societatem Suevi, ita quidem ut & Francos, & Noricos, & Bava-ros amaverint, titulo tamē, quo ab origine sua est gavisum, & vulgato nomine *FOEDERIS SUEVICI* posthac etiam scriptorib; venit. Insigniori tamen nota & reliquos confœderatos discernere licuit. Obtinuit enim inter eos, etiam dum expiravit foedus, nobile nomen societatis clypei S. Georgiani, ex insigni, quod jussu & auctoritate Cæsaris Friderici inde à constitutionis tempore, omnes Principes & Electores, Comites item & Barones, Equites & Civitates, quotquot societate ista comprehendebantur, modo nobili genere fuerint orti, in prælium ituri gerebant. Vide sis Crusium *A. S. l. c.* & librum inventu rariorem Generosi Dn. Casparis Lerchii, ab & in Durmstein, Equitis olim Germani, ac illustrissimi Equestris Ordinis Germanici ad Rhenum

Gauviæ & Wasgauviæ Capitanei perstrengui, *de S. R. Imperii Nobilitatis Casarea immediate antiquitate, dignitate, libertate & juribus*: quem in usus nostros ex singulari beneficio concessit Excellentissimus Dn. Georgius Schubartus, J. U. D. celeberrimus, Historiarum & Eloquentiæ Professor de studiosa juventute optime meritus, Patronus & Præceptor noster ætatem devenerandus: ibidem im zweyten Grund des Reichs Ritterlichen Adels Herkommen und Freyheits Berichts/n. 44. p. 90. Vexillum hoc erat, clypeusve S. Georgii, quem natione Cappadocem, & militiæ equestris militem fortissimum, mox Christianum & sub Diocletiano Imp. martyrē fuisse scribit Nicephorus Callistus *Histor. Ecclesiastica lib. VIII. cap. XV.* conferatur Cardin. Cæsar Baronius *Martyrologio Romano fol. 258. d. 23. Aprilis*, & illustris Lerchius libro laudato, *Grundsatz I. n. 9. fol. 8. sq.* Idem illud, quod una cum beatis S. Georgii manibus ac nomine ad superstitionem usque venerati sunt veteres Germani, ad Christum conversi, quôque semper velut virtutis symbolo & incitamento usi, cum adversus Saracenos, Avaros, aliaq; infidelium agmina pugnarent, posteris quod imitentur relicturi: uti id pererudite ex locis quibusdam Cedreni, Procopii & Pauli Diaconi à Baronio allegatis, deduxit jam nominatus Dn. Lerchius. In primis autem memoratu digna sunt, quæ ex recentiore Germanicæ Nobilitatis Historia, de illustri S. Georgii Martyris nomine petita producit l. c. notans, quod Fridericus Palatinus, cognomento bellicosus (vulgò *der böse Fritz*) Tutor Philippi Palatini, qui ab anno millesimo, quadringentesimo & quinquagesimo, ad septuagesimum tertium ejusdem seculi, tanta ausus est, ut Trithemius scribere nihil vereretur, *Fridericum tanta fecisse, quanta nullus in Germania Princeps in trecentis retro annis pro suis*, nomine isto, velut tessera militari, quoties hostem fuerit aggressus, sit usus, eoq; qui extra pugnae

pugnæ fuerint discrimen, pugnantes accenderint milites. Vexilli etiam, cujus album rubra intertextum erat cruce, quanta fuerit vel apud Principes quoque Germaniæ existimatio, ex Actis conventus Imperialis Anno c^o CCCCLIX. Wormatiæ habiti edocet: in quibus legere est, quod sex Imperii Electores, qui aderant feuda à Cæsare recepturi, singuli ut vexilla aliquot S. Georgiana sibi præferrentur curaverint. Ex dictis autem patet, omnes Principes, Comites, Barones, & Equites eo ac clypeo S. Georgiano, cui eligans hæc inscriptio fuisse fertur, DEVOTI DEO ET FIDELES CÆSARI, hæctenus esse usos: mox antiquatum ferè morem anno c^o CCCCCXXCV. restitutum memorat Lerchius in Suevia inferiori, quo Nobiles ejus ac Prælati in societatem coiverint, quam clypei S. Georgiani dixerint, non præter rationem, quam vernacula ita prodidit lingua: welche (Gesellschaft des St. Georgen Schilds in Unter Schwaben) dieses billiche fundament gehabt / damit die aus einem Ritter-Creyse Lands-bezirck wären / ihre aufgegebene Kriegs-Streits-Turnier-Befehl und Dapfferkeit mächtiger und stärker würden / und andern etwa eine Führe ehre abgewinnen / auch unter einander zu Fried und Feindes fällen bekandt seyn / gegen Gewalt und Unrecht sich selbst assistiren und beschützen möchten. *lib. cit. Grundf. II. n. 83. p. 104.* Factum etiam est, ut sub hoc societatis nomine in Ordinibus Imperii numerarentur. vid. *Catalogum Ordin. Imp.* apud Goldastum *Constit. Imperial. Tom. III. sub principium.* Videtur quoque ipsa hæc societas fecisse, ut Cæsar Fridericus, postquam nobile FOEDUS SUEVICUM est constitutum, hunc maximè honoris titulum foederis sociis tribuendum in animum adduxerit, statueritque eis proprium: conf. Crusius *A. S. l. c.* Cæterum quod & Foederati Svevici, & qui ante ipsos vexillum clypeumve S. Georgii gestarunt, fabulosum crediderint illum draconem, ex cujus

ore virginem Byreti liberasse dicitur Georgius, nec tam historiae, quam symboli causa secum repetierint, Rudolphus quidam Eltershofius, Eques, cum hac de re cum parocho quodam inter prandendum multis contenderet, doctissima picturae expositione ostendit apud Crusium, *An. Suev. P. III. lib. X. c. XIV. p. 586.* cum quo conferantur, quae de variis dissentientium sententiis tradit Lerchius, *lib. cit. Grundf. I. n. 9. fol. 9.*

IX. Ad regimen FOEDERIS SUEVICI nunc descendimus. Varium hoc erat pro temporis scilicet & status ratione. Penes duces à confederatis constitutos fuisse, praeter tabulas renovati foederis apud Hortlederum, chronica etiam tradunt: eosque nunc plures nunc pauciores, prout nimirum è re communi fuerat visum. Erant autem illi & senatores, qui ipsis aderant, cum mixto imperio in omnes foederis socios, & quidem cum ultimum revocaretur anno saepius dicto M D C C X X II. ex consensu societatis universae *in causis Principum inter ipsos, vel aduersus subditos, eosque vel singulos vel integras universitates, realibus ac personalibus, criminalibus & matrimonialibus exceptis. Circa feudales autem constitutum, ut si quidem inter litigantes conveniat, quod sint feudales, ad ordinarium tribunal ut vocentur: sin de hac qualitate lis, vel incertum sit, item de evictione, possessione & servitutibus feudorum, apud competentem iudicem foederis exerceantur: prout quae late in dictis tabulis cauta fuerunt, paucis complexus est B. Strauch. loc. cit.* Commoratos autem esse hos foederis iudices certa aliqua in urbe, saltem postquam socii consiliis, & rebus omnibus ad foederis felicitatem pertinentibus sibi prospexerint, ubi quasi ad tribunal convenerint rei & actores, & rursus inde juxta leges & consuetudines foederis ad poenam fuerint damnati, qui peccarunt; ubi etiam, quid agendum in causa foederis, quidve omittendum, sit decretum,

tum, patet aus des gemeinen Bunds Abschied apud Hortlederum *lib. III. c. V.* in quo Augusta urbs est assignata, ut eam undecim futuris annis, qui iudices constituti erant, insiderent. Sedem autem hanc toties ferè mutatam credimus, quoties forte de prorogandis confœderationis annis cogitarunt, aut novã inter sese fecerunt pactionem. Sic enim anno *MDCCCXCVI.* Lindavii, & an. *MDCCCXCIX.* die 20. Februarii, qui Sebastiano fuerit facer, Constantiæ ad Lacum Bodamicum ejus causa convenisse, legitur apud Stumpfium, *Chron. Helv. lib. XIII. cap. XXIII.* Et ex tabulis laudatis constat, novissimè Ullmam esse vocatos missos & legatos fœderatorum, & postquam ex pacto & conventu discessissent, iudices recens ad id munus electos, numero tres, cum consiliariis suis Augustam concessisse dictum est: unde ipsis ante definitum tempus, nisi pestilentia per urbem incederet, abire non licebat. conf. **des Bunds Abschied** / ap. Hortl. *l. c.* Et nescio, an non idem illud recte colligas ex loco Crusii supra allegato, ubi literarum meminit Friderici Imp. ad Kraichgovienses, quæ Ullmam fuerint allatæ, fortè ad summum fœderis præfectum, qui ibidem hærebat. Hujus autem dum mentionem facimus, non ingratum erit lectori, si, quem primum inter se servaverint ordinem fœderati, ex laudato Crusio hic repetamus. Ita autem p. 482. *Divisa hæc sodalitas (quæ scilicet ad jussum Majestatis Cæsareæ anno MDCCCXXCVIII. coiit) erat quadrifariam. Una societas erat in Hegaa & ad Lacum Bodamicum: altera ad Danubium: tertia ad Kocheram: quarta ad Neccarum & Hercyniam sylvam. Harum cuique suus ex equestri ordine Dux præerat. Sed & civitates habebant Ducem. His quinque Ducibus unius communis & generalis Dux præerat, ceu Imperator, Comes Hugo à Werdenberg. Primæ quartæ vel quadrantis Dux in Hegaa & Bodamico tractu, Jacobus erat Bodmanius, Eques. Kocheranae partis Dux, Alber-*

Albertus Lympurgensis. Neccarica & Hercynia, Georgius ab Ebingen, Eques ille celebris. Danubiani quadrantis, Ulricus Fronsbergius, Eques. Urbium Dux, Wilhelmus Besferer, Ulmenensis. Cuius Duci sui erant consilarii, ex ordine equestri. Georgio itaque Ebingeno hi erant attributi. Ludovicus Nippenburgius. Wilhelmus Neunetcius. Ludovicus Emmersbofius. Hyeme quatuor sunt additi. Johannes de Neuneck. Job. de Reischach, praefectus Neopyrgensis. Martinus de Neuneck. Job. de Ovv, in VVatbendorff. Si quae graviores incidere res, adjungebantur plures, ut Ludovicus Truchsessius de Hefigen. Conradus Schenck, de VVinterstetten. VWilhelmus de Urbach. VVolfus de Darchenhausen, senior. Burckhardus de Ebingen, Dom. Georgii frater. Petrus Schwöler. Baltasar de Bibel. Confirmata est haec Ducum ratio postea Eslinga à Cesare Friderico, praesertimq; Ebingenopareri jussum, qui etiam praclare se in hoc munere gessit. Haec Crusius.

X. Quinquies productum foederis terminum ante Sleidanum ipse Carolus V. cum foederatis Principibus & Statibus est testatus, in der eilffjährigen Einung des Bunds zu Schwaben apud Hortlederum *lib. III. cap. IV.* quorum verba, cum certiores facere possint lectores Crusii, de tempore primùm definito, adscribemus: Zu mehrerer Handhabung und Vollziehung des Landfriedens ist vor etlich verschlenenen Jahren eine Vereinigung und Bündniß des Landes zu Schwaben Anfangs auf acht Jahr lang gemacht / die nachfolgend drey Jahr / auch zwölff Jahr / und zuletzt zehen Jahr erstreckt / und bis zu ausgang solcher zehen Jahr gehalten worden / wie denn das alles an ihm selbst ist / und die Brieff und Verschreibungen darum ausgegangen / eigentlich geben zu erkennen — — die wir Keyser Carl / 2c. und wir Churfürsten / Fürsten / 2c. noch eilff Jahr die nechsten / die sich auf Purificationis Mariae schierst anfangen werden / erstreckt / und uns darauff samt und sonderlich
von

von neuen dingen dieselben eilff jahr lang in Vertrags
und Pacts-weise mit und gegen einander freyes gutes
willens und gemüths vertragen / vereint / und verbunden.
Hoc autem maxime convenit, ne ordo alter alterum ho-
stili vi invadat, dejiciat, captis pignoribus spoliet, aut ca-
ptivum ducat: vide die eilffjährige Einung apud Hortle-
derum *l.c.* & quod Ferdinandus docet apud eundem *lib.*
cit. cap. XI. Es ist die Bunds-Einung auf ein Maas und
Ordnung gestellt / zu handhaben des Landfriedens / und
ernstlicher thätlicher Straffe der Verbrecher desselben / und
insonderheit / so ein Bundtsverwandter von jemand mit Ge-
walt in was wege das geschieht / vergewaltiget wird / daß die
Bunds-Stände die Gegenhandlung / den Krieg / die Betret-
tung und Wiederholung des Gewalts erkennen / und voll-
ziehen mögen / ohne einig vorhergehende Rechtfertigung.

XI. Nec consilio huic vires defuerunt. Quoti-
die enim decem millia, & quod excurrit, armatorum pu-
blice alebantur: quorum numerus non semel ita auctus,
ut & viginti peditum, & tria equitum millia in hostem
ducerent Suevi. Legi possunt, quæ hanc in rem sancita
reperiuntur in der eilffjährigen Einung apud Hortled. *loco*
sæpius laudato, & apud Adamum Reusnerum in *Historia*
Georgii & Casparis, Frundspergiorum, quorum ille pedita-
tui dux præerat, cum maxime invaluisset, ad Ulricum
Württembergiæ ducem debellandum profecturus: *lib. II.*
fol. 25. conferantur etiam, quæ hinc inde apud Stumpfium
& Birckheimerum, ac Vurstisium *Chron. Bas. lib. VI. c. XVII.*
in Histor. belli Helvetici de numeroso milite Suevorum le-
guntur.

XII. Num autem, quod jam laudatus Birckheime-
rus videri vult animadvertisse, Suevi vix dum conflata so-
cietate rebus suis nimium confisi, arrogantes fuerint mi-
noribus, non disquirimus. Potuere omnino illi humani

C

quid

quid pati, præsertim cum felicitas undique aspiraret, nec conatus adversus hostem, qui nuper adhuc paucitatem in ipsis contemserat, nunc autem inferior à multitudine sibi timebat, eos frustraretur. Si vero quod prius alienæ gloriæ datum erat, suæ nunc cessisse virtuti sunt gavisi, haud facile eos reprehendes. Hoc certum est non nisi lacestos prodiisse in campum, temereque neminem oppugnasse. Ut adeo frustra sit Stumpfius, qui hoc ipso fœdere Suevico bellum Helvetiis clam fuisse paratum male suspicatur *lib. XIII. c. XXI. & XXIII.* Præter enim id, quod ipsa rei cum Helvetiis gestæ historia reclamet, tabulæ publicæ, optimi consiliorum interpretes, contrarium aperte testantur. Hanc scilicet, uti pridem instituti, sic ultimò renovati fœderis Carolus cum sociis suis ibidem reddidit rationem: Zu mehrerer Handhabung und Vollziehung solches Landfriedens ist vor etlich verschieenenen Jahren eine Vereinigung und Bündniß des Landes zu Schwaben gemacht — — erstreckt/und bis zu ausgang der (bestimpten) Jahre gehalten worden — — also und so wir Keyser Carl 2c. auch wir Churfürsten 2c. 2c. hier vor gemelt/den obberührten gemeinen Landfrieden/ nachdem der Gott dem Allmächtigen zu lob/ auch Teutscher Nation zu gut/ und um gemeines Fried/ rechten und nutzens willen angesehen und fürgenommen ist/ zu häuffen und zu mehrer sonders geneigt sind/ und dabey ermessen/ was guten nutz und frommen allen Verwandten des Bundes zu Schwaben/ auch dem Heil. Röm. Reich und dem gemeinen Landfrieden/ aus solcher Vereinigung und Bündniß zu Schwaben bishero kommen/ und geflossen ist/ und führo künfftig kommen und geflossen mag; darumb aus denen und andern erbarn/ redlichen und gnugsamen ursachen/ uns dazu mercklich und nothdürfftiglich bewegend/ zu förderist zu handhabung des obgemelten gemeinen Landfriedens/ und insonderheit/ daß wir
Key-

Keyser Carl bey den obbestimmten unsern lieben Neven/
Oheimen / und des Reichs lieben getreuen Churfürsten/
Fürsten/Prälaten/Graven/Freyherrn/Rittern/ denen vom
Adel/ und des Heil. Reichs Städten/ und dieselbe bey uns/
als ihren natürlichen und rechten Herrn / und dem Heil.
Röm. Reich/ auch wir alle bey unsern Fürstenthümern/ Lan-
den/ Herrschafften/ Leuthen/ Herrlichkeiten/ Obriigkeiten/ in-
habenden Gütern/ Rechten/ Gerechtigkeiten/ Freyheiten und
alten Herkommen / desterbaß in Fried und bey recht blei-
ben/ dazu denjenigen / so uns oder die unsern wieder den ge-
melten Landfrieden / recht und billichkeit zu beschweren/ sich
unterstehen würden/desto fruchtbarlicher und stattlicher wi-
derstand thun und begegnen/und den Landfrieden handha-
ben; auch daß der Kauffmann / Pilgrim und sonst männli-
gich desto sicherer und friedlicher handeln und wandeln
mögen: haben wir Keyser Carl / als Herzog zu Oestereich/
und von unsers Fürstenthums Wirtemberg wegen/und wie
Churfürsten 2c. 2c. die obberührte Vereinigung und Bünd-
nisse des Landes zu Schwaben erstreckt / 2c. Confer etiam
Caroli Antwortschreiben an die Churfürsten des Reichs:
item/den Unterricht der Bundesverwandten/den sie an den
Päpstlichen Oratorem zu Luzern gethan/apud Hortlederum
cap. XI. lib. III. Quin autem hic Suevis semper fuerit sco-
pus, æquus animus in dubitationem vix adducet.

XIII. Primum igitur Georgii Ducis Bavariæ, gravis-
simi Fœderatorum hostis, temerarios conatus magno ani-
mo represserunt Suevi, ita, ut qui diu singulos despiciebat,
& vix quenquam hominem præ se putabat, unitas civita-
tum nunc extimesceret vires, ac ægre, utut numerata in-
genti pecuniâ, & restitutis omnibus, quæ antea per vim
ceperat, bello, quod ipsi denunciatum erat, præverteret.
Neque Ratisponæ posthac secura possessio videbatur, post-
quam anno cIdo IXD exercitus Suevorum campestris ad

Lycum fluvium occupasset loca. Itaque Albertus urbem in pristinam libertatem extemplo restituit, & belli, quod imminebat, ante finem fecit, quam erat inchoatum. Videantur Birckheimerus *loc. cit.* Crusius *Ann. Suev. Part. III. lib. IX. c. IV.* & *Historia bellorum, quæ Civitates olim cum vicina Nobilitate gesserant, ex antiquissimis prisca simplicitatis Annalibus relata à Christophoro Besoldo, Discurs. Polit. III. c. V.*

XIV. Graviore causæ erant, quæ Sueviæ Fœderatis, seculo decimo quinto jam decrepito, cum Helvetiis intercedebant, quæque armis deinceps vix componebantur. Hi nimirum suis hæcenus legibus & moribus asueti, cara admodum partæ libertatis jura habebant, eaque adversus quosque hostes fortiter propugnabant. Contra fortunæ ipsorum invadebant Status vicini, & inter primos Principes Domus Austriacæ, qui omnem navabant operam, ut potentiam eorum, & opes indies crescentes infringerent. Præ cæteris autem Fridericus III. Rom. Imp. ægris oculis fœdus illud, quod pridem Pagi quidam Helvetici inter se constituerant, introspiciebat, ut hoc non contra Romanum Imperium, sed contra Nobiles, libertatis suæ hostes, factum coram Carolo IV. satis sint contestati. Vide Crusium *An. Suev. P. III. lib. V. cap. IV.* Atque hinc etiam est, si Stumpfio credimus *Chron. Helv. lib. XIII. c. XXIII.* quod Fridericus, simul ac Imperii fasces capeffivit, paciscendo fœdus cum Tigurinis, ad discordias illexit Fœderis Helvetici socios, quæ nationem omnem ad exitium fere fatigarunt: hinc simultas & inimicitia per omnem Cæsaris ætatem non intermortuæ, sæpius autem simulata ejus amicitia auctæ. Neq; tamen cuncta hæc id unquam potuissent, ut animos Helvetiorum prorsus ab Imperio alienassent, nisi Fridericus Cæsar in Comitibus Imperialibus anno **MDCCC LXXI** Ratisponæ celebratis, quibus hæcenus
ut

ut liberi Imperii Status, Imperio scilicet certis quibusdam conditionibus parentes, ac ne publica quidem onera recusantes, interfuerant Regalium confirmationem denegasset. Ex hoc autem factum est, ut conventu publico decernerent: die Reichs-Tage nicht mehr zu besuchen / noch ihren Abschieden sich zu unterwerffen. Videatur Melchior Goldartus in præfatione der Reichs Handlungen / ad Ducem Wirtembergicum.

XV. Atque sic asserta videbantur αυτονομίας jura, quæ hæctenus unicè spectarant Helvetii, frustra renitente Friderico & Agnatis Austriacis, contra quos, quæ semel erant adepti, tanta tuebantur religione, ut nihil unquam remitterent, jugumque quod cervicibus suis clam intentari credebant, omni vi propellendum statuerent. An autem Fridericus ad opprimendam Helveticæ gentis libertatem Suevici Fœderis auxilio ac ope fuisset usus, ut Stumpfius conjicit, non assequimur. Certe lapides loquitur, quando ad eum maxime finem fœdus conflatum scribit. Sic autem verba ejus habent: *wiewol derselbig Bund gemeinem Reich und Teutscher Nation zu gut soll gemacht worden seyn / würden doch (bey Leb-Zeiten Friderici) stets viel Bunds-Tage zu Cölln / zu Regenspurg / Franckfurt / Nürnberg / und andern Städten gehalten / darinnen alle wegen gerahtschlaget ward / wie die Eydgenossen bezwungen / ihrer Freyheit entladen / und unter das joch möchten gebracht werden.* Sanctiores enim huic scriptori testes fœderis Suevici esse debuissent, quos supra produximus, quam ut simulasse & dissimulasse eos dixisset. Imo iniquus idem est Maximiliano, filio Friderici, & sociis, dum hæc subjungit: *Keyser Friedrichen folgte sein Sohn Maximilianus, der trat auch also gleich mit den Schwäbischen Bund in alle Anschläge hievor wider gemeine Eydgenossen vorgenommen.* Namque non apparet, unde de iniquitate Cæsaris

certus esse possit, nisi fortassis ex eo illam colligat, quod ex Conventu Imperiali anno cIo IVD Lindaviæ ad Lacum Bodamicum celebrato, & auctoritate Imperatoria ad æqualia jura & onera Imperii redire eos jussit. Quo ipso tamen Maximilianus nihil, quam quod officii sui erat, egit, inprimis cum videret prosperitate victoriarū elatos indies magis tumescere, belli pacisq; conditiones ferre, ac Imperium ipsum, quibuscunque vellent, limitibus circumscribere. Quod autem primum movebat, amicitia erat Gallorum, quæ à suspicione abesse non poterat. Quin autem neque sic quidem animo cum Helvetiis bellavit Maximilianus, quicquid tandem sit de consiliis parentis, vel ex eo patet, quod eodem tempore, ut in societatem Fœderis Suevici tunc renovati accederent Helvetii, flagitavit: quod utrumque tamen, nihil curantes Cæsaris imperium atque minas, missis ad Oeni-pontem Oratoribus, postquam discessissent Lindavio Cæsar & Imperii Proceres, temere recusarunt, his maxime usi verbis: *Der Keyser möchte Sie allergnädigst obberührter anforderungen entladen/und sie bey ihren Rechten/Bündten und bisher gebrachten Freyheiten lassen / so wolten sie sich auch gebührlich und freundlich gegen das Reich und jederman erzeugen / 2c. die ausländische Cammer- und Hoff- Gerichte aber / item die Artickul und Verkommniß des neuen Schwäbischen Bundes anzunehmen/wäre wider ihren Bundt/und wider alle Freyheit ihnen hiebevör von Keyser und Königen gegeben: pro- ut illa ex Actis Reipublicæ recenset Stumpfius d.l. confer Carionis Chronicon lib. V. in Maximiliano p. m. 1104.*

XVI. Maximilianus alias non præceptus in iram, amplius eam cohibere nequivit, præsertim cum & pacta confraternitatis, quæ olim cum Sigismundo, Austriæ Archiduce, & Tyrolensis Comitatus Domino, pridem sese à suo jure in has terras abdicante, illudque Maximiliano

con-

concedente habebant, ipsi nuper renuntiaffent Helvetii, ac forte spem ejus, quam conceperat de iis vel ex hoc capite commovendis, ut, quod exoptarat haectenus, missa Gallorū amicitia cum Fœdere Suevico sese conjungerent, frustrati essent. Hinc nec mireris, gravius illis Oeniponti responsum à Cæsare, cujus verba sic notavit Stumpfius : So sie/ die Eydgenossen/ nicht wolten in sein begehren einwilligen/ so wolte er der Künig die Eydgenossen auf thren eigenen Erdreich heimsuchen / und selbst das heer führen. *Chronici Helvetici l.c.* Videri hæc posset, uti justa ac æqua, sic ultima belli Helvetici *περὶ Φασίς*: at enim vero Cæsar diu iracundiam suam male dissimulavit. Male, inquam: namque post pluribus arguendi ansam præbuit, ac si nulla sat gravis causa bello suffecerit, temereque illud cœptum ingenti deinceps suorum luerit strâge. Legantur Birckheimerus *lib. cit.* Mutius *Chronico Germ. lib. XXX* & alii. Quamvis & hoc sit notandum, quod si quid hic peccatum, id omne non tam Maximiliano, quam Aulicis ejus, & quos auctores belli credunt complures, Regiminis Oenipontani Proceribus tribuendum esse iidem agnoverint scriptores. Birckheimeri in hanc rem verba haud obscura hûc transcribimus. Ita ille laudato loco: *Tantis itaque successibus non tam Maximilianus Rex, quam potentes ejus elati animo volvere cœperunt, sub quâ honestâ occasione Helvetiis bellum inferre, ac olim acceptas injurias vindicare possent; & hæc potissima causa discordiarum fuit.* Post pauca: *Ejus rei culpam Helvetii potissimum in Paulum de Lichtenstein, & Gossembrot Augustensem olim mercatorem rejiciunt. Hi enim ex humili loco in altum elati, divitiis & potentia inter cunctos præcallebant regios (Oenipontanos,) & ut fertur, obscuritatem suam insigni aliquo facinore illustrare cupiebant.*

XVII. Hæc autem res quænam fuerit, ut appareat magis, gesto-

gestorum rationem breviter hic explicabimus. Rhæti eandem Cæsaris in offensionem incurrerant, propter tria fœdera quibus sibi invicem jungebantur, forte & societatem Helvetiorum, quam expetebant; cum quibus tamen nondum convenerant. Simulatibus autem & infestis actionibus, quas Cæsariani, adversus Episcopales potissimum, susceperant, eodem tempore, quo cum Helvetiis transigebatur Lindavia, prætenderunt jura territorii, de quibus inter Oenipontanos Dominos & Episcopum Curiensem lis erat fere antiquata. Prorogabatur hæc ad tempora Henrici Episcopi, amica transactione; jam autem armata manu requirens miles Oenipontanus castra quædam Episcopi occupavit, ac incolis regionis damna intulit ingentia. Facile manum hanc vi propulissent Rhæti, nisi maluissent consilio, quam armis quævis experiri. Ex arbitrio igitur Helvetiorum, quos socios mali habebant, legatos miserunt, qui, quid actum hæcenus sit, Maximiliano ipsi exponerent, & pacem peterent. Maximilianus, cui mite erat & tractabile ingenium, æquus videbatur Rhætis: at iniqui ipsis erant Magnates ejus Proceres Oenipontani. Hi igitur, postquam Cæsar in inferiorem Germaniam bellandi ergò abiisset, neque Episcoporum, quibus causa cognoscenda à Cæsare data erat, consilia patientes, neque mandatis Regis, queis voluit, ut jure potius, quam armis contenderent, obsecuti, iras quotidie revolverunt, & de bello, quod apud animum pridem decreverant, nunc toto die cogitarunt. Ex composito tamen, & ut subdolæ mentis consilia honeste tegerent, moniti ab Episcopo Constantiensi, diem & conventum Feldkircham indixerunt, ex quo neutra pars nisi sopita lite discederet. Sed cum hic quoq; fides ipsorum Rhætos non semel frustraretur, hique compertum haberent, quod auctoritate & nomine Maximiliani Sueviæ Confœderatos ex forma
fœ.

Æderis in auxilium vocarint, nec sibi ulterius cunctandum rati, amicitiam cum Helvetiis contraxerunt, d. XIII Decembr. anni c^o IID. & vim illatam vi repellendam decreverunt.

XVIII. Bellum itaque utrinque paratur. Milites Cæsariani infesto agmine primi possessiones alienas irruunt, & Meienfeldium oppidum una cum Münsterthal occupant, ac omnem regionem longe lateque vastant, paucis adhuc ex Rhætis, sed & frustra, resistantibus. Sed Helvetii Rhætis hactenus inferioribus vix junguntur, cum fortuna, quam in potestate sua Helvetios habuisse crederes, sua mobilitate, quos paulo ante extulerat, demergit. Namq; octo justis præliis superiores discesserunt, nullo victi. Quamvis nec huic omnia, sed virtuti Helvetiorum plura rectius tribuantur, teste oculari Birckheimero, qui sub finem Historiæ de bello Helvetico ita scribit: *videntur Helvetii in hoc bello, quasi novissimum virtutis suæ specimen præbuisse.* Hoc certe meritò illis datur laudi, quod non nisi desperata pace bellum susceperint, insignem postea servaverint ordinem, nec quicquam nisi ex præscripto legis egerint, cujus summam exhibemus ex Birckheimero, quæ ita habet: *duces ex fide cuncta peragunto: milites diligenter imperio parento: injussi ordines haud derelinquunt: à tumultu & seditiōibus cavento: pugnaturi silentium, quantum fieri potest, servanto: fugam nequaquam ineunto: socios fugientes cadunt: devictis hostibus ad spolia injussi, & priusquam victoria malè sit parta, non convertuntur: ignem ædificiis injussi ne injiciunt: arma in hostico nec die nec nocte exuunt: à molendinorum exustione, & ecclesiarum spoliatione, mulierum, virginum & sacerdotum violatione penitus abstinento, captivum inter præliandum non ducunt, sed interficiunt: quod si quis contra iverit, mors pœna esto.* Quæ omnia non solum eximiam rei militaris prudentiam, sed & pietatem Helvetiorum satis produnt. Quantum autem hisce valebant, tantum superabant Cæsarianos, qui vel ultimo omnium ista, aut prorsus non curabant, sua virtute, &

D

auxi-

auxilio aliorum freti, quo copiis multo superiores existebant; contra vero paucitatem in hoste contemnebant, eumque suâ negligentia & temeritate valentiorum reddebant. Hinc etiam est, quod Birckheimerus, quoties fere stragis ab Helvetiis factæ meminit, aut cruentum describit prælium, quasi quoddam lemma picturæ addit: *Temeritatis infelix exitus.* Maxime omnium memorabilis est ultima illa ad Dornecum arcem commissa, ut tumultuaria pugna, ubi palantes in agris, ac imparatos prorsus aggressi sunt Helvetii, ac denique non solum re infectâ, sed & multis millibus desideratis, quin ipso duce Comite Fürstenbergio, saniorum consiliorum impatiente, interfecto, solvere obsidionem & omni apparatu relicto fugere Cæsarianos atque Suevicos coegerunt. Lindaviæ hærebat Maximilianus, cum accepta hæc clades nunciaretur, & adversæ memor fortunæ ipse Comitis imperatoris accusabat imprudentiam & temeritatem, ac quod animosissimus quisque occubisset, valde dolebat. Inde etiam facilior ejus consensus ad pacem quam ad bellum sibi & omni Imperio exitiale producendum; ut sæpius alias oblatam spreverit. Arbitrium suum in hoc negotio pridem obtulere Philippus Palatinus, & Episcopi Rhenani: sed neutra pars illud acceptabat. Galliæ etiam Rex, perquam acceptus Helvetiis, omni studio laboravit, ut à Maximiliano quoque arbitri vices ad ipsum deferrentur, cui tamen non sine ratione suspecta pax videbatur, quam Galus comparavit. Omnibus deinde se probavit Ludovici Sfortiæ, Mediolanensis Ducis legatus, Galeazius, adeo, ut eorum potissimum suasu & hortatu pax invicem denique daretur & acciperetur, conditionibus æquis, nec, quod unum flagitarunt Helvetii, natione suâ indignis; ita tamen, ut neque vel Austriis decessisse antiqui juris memoria, neque Helvetiis accessisse adversus Austriacos fiducia videretur. Instrumentum pacis, cujus summam exhibet Vurstifius *Chronic. Basil. lib. VI. c. ultimo*, signatum est Basileæ d. 22. Septembr. an. MCCCIC, postquam

no-

novem mensium spatio vel viginti hominum millia trucidata sunt, & quod mireris, soli Helvetii omnes Imperii vires, quas Cæsar in superiorem Germaniam redux ad eos opprimendos Constantiam evocaverat, magno & intrepido animo sustinuerunt, ancipiti licet loco fuerint oppugnati. Legantur de hoc bello Helvetico post Vurstisium, ante omnes, Bilibaldus Birckheimerus, quem supra aliquoties commemoravimus, qui que, utpote Præfecto copiarum Noribergens., gestis potioribus præfens interfuit, *lib. II. de B. H.* apud Freherum, & Ioh. Stumpfius *Chron. Helv. lib. XIII.* Cario *Chron. lib. V.* & Mutius, *Chronici lib. cit.* Quomodo res Helvetiorum ab eo tempore ad Pacem Westphalicam habuerint, pluribus edocet Conringius *de Finibus Imperii cap. XXV.*

XIX. Infecta hæc Suevorum virtuti fuere tempora, cui paulo post rursus favebant. Manifestius enim illa spectari potuit in bello Bavarico, quod anno cIo Io IV cœpit & confectum est, Ruperto Palatino, ejusq; Parente Philippo, Septemviro, ex proscriptionis sententia ab omnibus Imperii Ordinibus brevi temporis spatio debellatis. Causam proscriptionis ac belli non diu quærebat Maximilianus, à Ruperto, qui Georgii divitis, Baviaræ Ducis gener, & ex testamento terrarum ejus hæres, vivo adhuc socero munitiera Baviaræ loca occuparat, sponte suâ & superbè oblatam. Postquam enim defuncto Georgio, Albertus Dux Baviaræ, de jure suo in feuda illius, cum ἀλληλοκληρονομίαν, sive etiam, uti Crusius *p. III. lib. IX. cap. XIII.* notavit, consuetudinem Imperii prætendebat, qua Principibus fœminis nihil præter numeratam pecuniam & mobilia bona ex hæreditate patris relinquatur, nihil concessit Ruperto, hic autem possessione suâ cedere noluit, Cæsaris imploratum est arbitrium. Maximilianus, ut æquo animo res componerentur, suafor erat, eumque in finem condiciones ferebat utrique parti honestas: vide sis Carionem *lib. V. Chron. p. 1105.* Sed sprevit Cæsaris consilia Rupertus, & quod causa non potuit, armis sibi vindicare an-

nisus est. Cujus conatus cum Philippus parens juvaret, una cum filio ab Imperatore proscriptus & à foederatis Suevis, aliisque Principibus bello fere est oppressus. Rupertus ipse cum conjugè Elisabetha paulo post prælium ad Ratisponam infeliciter pugnatum diem obiit, mœrore extinctus, orphanis binis, & parente ancipiti hoste presso relictis. Tandem Badensis Marchio, nomine Christophorus pacem à Maximiliano Philippo impetravit, gratiam vero Fridericus Elector Saxo: è cujus consilio insequenti anno tutus Cæsarem adiit, & in cœtu Principum Coloniae ipsi suppliciter factus in pristinam restitutus est dignitatem. De cæteris ibidem sic convenit inter principes & status bello huic implicitos, ut, qui tempore guerrarum plura perdidisset, careret amissis, & qui multa fuisset lucratus, non compelleretur saltem in foro contentioso ad restitutionem. Vide Joh. Tritheimium *in Historia Belli Bavarici, apud Freberum Tom. II. Scriptorum Rev. Germ.* Atque ex hoc pacto plura bello capta oppida & arces præsertim Ulricus Dux, ejusque posteris; civitas etiam Noribergensis, Altdorffum & Heerspruggam, aliaque loca hodiernum, velut præmia reportata ab hoste suo victoriae, tenent. Crusius *An. Suev. l.c.* Insignem autem clementiae gloriam Maximilianus ex hoc bello tulit, quod non solum suppliciter pepercit, sed & in defuncti liberos benignus fuit. His enim de controversis Georgii terris eam attribuit partem, quae Danubium inter & Nabum fluvium supra Ratisponam limites veteres Palatinae ditionis attingit. Cario *lib. V. Chron.* p. 1106. confer etiam de hoc bello Mutium *lib. XXX. Chronici Germ. Baseliæ, in Auctario Chronograph. Naulcleri Gen. LI.* & ex recentioribus Joh. Henr. Bœclerum *in Commentar. de rebus seculi XVI. part. I. p. 155. seqq.*

XX. Pacem, cujus caritate sapius, ut vidimus, bellum hætenus posuerunt Sueviae Foederati, amore belli nunquam turbaverunt. Factum itaque est, ut inde a bello Bavarico per tria & quod excurret annorum lustra inconcussa fruerentur quiete,

&c

& nil quicquam occurreret, quod negotia ipsis facefferet, donec anno cdo 10 XIX Ulricus Dux Wirtembergiæ in ipsa Suevia turbas excitaret gravissimas, ad quas compescendas profecti Foederati, Ducem, stipatum nuper auxiliis Helveticis, jam vero destitutum ab illis, omnibus in fidem acceptis oppidis arcibusque ejus, liberis etiam & majori bellico apparatu Tubingæ interceptis, omni ducatu suo brevi tempore exuerunt, cumque eodem anno cum tumultuaria suorum manu rediret, ut amissa recuperaret, cruento prælio ad Eslingam victum ac fugientem Montispelegardium non sunt persequuti, sed de rerum exitu & pace admodum sollicitum reliquerunt.

XXII. Carolus interea electus Imperator Germanicus, foederis sociis jungitur, ab illisque Ducatum Wirtembergicum emtionis titulo, ut ipse testatur apud Hortlederum *lib. III. c. 1. in seiner Antwort an Churfürsten und Stände des Reichs* &c. accipit, quam deinceps frater Caroli, Ferdinandus, Archidux Austriae, postea Rom. Imperator, ex hæreditate secure possedit, magna pecuniæ vi Aldalrico oblata, si de jure suo cedere vellet. At enim vero dulce huic erat natale solum, & sedes patria; proptereaque frustra fuere labores omnes & conatus Foederatorum eum dimovendi possessione Wirtembergica, ne toto die de recuperanda ista cogitasset. Sollicitaverat hac in causa ipsum Carolum V. nuper admodum ad Imperium evectum, sed nequicquam, sive voluit, sive potuit Cæsar pro Ulrico. Igitur ad Helveticos mittit legatos, & Philippum Hassiæ Landgravium: horum maxime consilio & auxilio cupiens terris suis restitui. Illi die Basileæ constituto Comitem à Septem-castris, Wirtembergiæ Præfectum, qui Regis Ferdinandi nomine aderat, & Ulricum Ducem audierunt, istum quidem conditiones non non satis æquas Duci ferentem, hunc nullas, nisi ducatus restitutionem admittentem; sed infectis rebus discesserunt. Philippus autem, utut Ducis causæ admodum favebat, hæctenus tamen non nisi consiliis eum juvare poterat, Foederi Suevico ad-

dictus. Optimam Duci ansam recuperandi sua præbuisse videban-
tur tumultus rustici per omnem omnino Sueviam & reliquam
Germaniam maxime propter tributorum gravitatem, &, quod
prætendebant seditiosi, evangelicæ prædicationis libertatem, ha-
ctenus non concessam [uti id illustris Seckendorffius *Commentario*
de Lutheranismò lib. II. sect. II. §. 2. sq. Principum & aliis Lutheri
documentis evincit] commoti. Hos enim non parum vexa-
tuos fœderatos, facilis erat conjectura. Festinandum itaque
duxit Ulricus, atque clam bellum paravit, conscripto ex Helve-
tiis milite, stipendio tamen magis promisso, quam dato. Ad-
ventantem Nobiles aliquandiu coercere nisi sunt, sed impares
tandem fugerunt, & missis epistolis auxilia à Ferdinando Rege, &
fœderis sociis, petiverunt, quæ tamen ægerrimè consequi, ne-
mine adverso rusticos arma sumturo, ex queis se natos omnes
dicebant. Tandem Mediolano venerant milites, qui nomina
Fœderatis dabant, adversus Ulricum pugnaturi. Ingebantur
hi mercenario militi, quem alebant Suevi, & dum induciis mo-
rarentur rustici, Helvetique denuo discederent ab Ulrico, sive
solicitati à Regiis, ut Ulricus ait apud Hortlederum, *l. c.* sive, quod
Hubertus Thomas Leodius, *in Historiola de seditione Rustica*
ap. Freherum Tom. III. Scriptorum rerum Germ. testatur, revo-
cati à suis, postquam notam istam ad Papiam accepissent cla-
dem sub Francisco Rege merentes, moverunt in subitum ho-
stem suum regii, supremo duce constituto Georgio Truchses-
sio, ex antiquissima Sueviæ familia, quæ hodie Comitum titu-
lo floret, orto. Sparsus mox est exercitus hostilis, & ipse Dux
fuga salutem quærens Duellium pervenit, arcem natura & arte
munitissimam, indeq; Montem Pelegardi petiit, abjecta omni
spe patriam revisendi. Georgius autem arma post hæc in ru-
sticos convertit, & motus in Suevia cunctos, plures etiam in
Franconia, cæsis multis hominum millibus, composuit: cum qui-
bus utique, si absque sanguine conveniri potuisset, quod tamen
Georgius Frondspergius, qui mense majò hujus anni ex Italia
post

post pugnam ad Ticinum accurrerat, prudenti omnino & pio consilio, nec infeliciter, tentaverat ad Memmingam, consultum melius fuisset Germaniæ rebus, quæ hisce bellis sanguinolentis fractæ magis, quam stabilitæ sunt. Hoc interim elogium Sueviæ Fœderatos manet, quod eorum maxime auxilio & domi suæ & foris fuerint sedati. Confer hîc præter laudatos scriptores, Petrum Crinitum *in Historia de bello Rustico* apud Freherum *l.c.* Sleidanum *lib. IV. p.m. 100.* Crusium *An. Suev. Part. III. lib. X. cap. XIV.*

XXII. Prius autem, quam hoc negotium Württembergicum deseramus, circa gravissimam hanc expeditionem quæstionem istam multum inter partes, maxime Cæsarem, Regemq; Ferdinandum, & Ulricum Ducem Württembergiâ pulsum ac Philippum Landgravium agitatum, an scil. justum bellum Württembergiæ fuerit illatum, & an ullo jure Fœderati Ulricum a vitis suis sedib; fraudare potuerint? merito notam; De utraq; graviter conquerentē audiemus Ducem ipsum aus seinem und Landgrav Philippus Ausschreiben u. Verwahrung gegen Kayserl. Maj. der vorhabenden recuperation des Landes Württemberg halber/ap. Hortlederum *lib. III. cap. III.* Ita autem laudato loco Ulricus: Ich habe auch nie in meinen sinn genommen immer mehr wider Keyserliche Majestät/oder auch das Heil. Reich/des glied ich bin/und mich erkenne/zü handeln. Es hat sich aber zugetragen/dasß mir ein getreuer froimer Diener und Bogt auf meinem hauß Achelm/mir zum Verdruß / und um meines dienstes willen in der stadt Keutlingen jämmerlich ermordet worden ist/derhalben ich mit denen von Keutlingen in irrung und unwillen gewachsen. Welcher stadt sich der Schwäbische Bundt dieses mahl ernstlich angenommen/und mich über das/dasß ich mich des Heil. Röm. Reichs recht gutwillig unterwarff/ zu recht erbothe/ und rechts begehrte / auch dissmahl der hochgebohren Fürst / mein freundlicher lieber Oheim und Schwager/Pfalsgrav Ludwig/Churfürst / und zur Zeit des Heil. Röm. Reichs Vicari in den Landen des Rheins und Fränckischen

schen Rechtens / dem Schwäbischen Bunde aus Keyserl. gewalt/
den seine Liebden da zur Zeit hatte / Stillstand / und daß man die
sach mit recht örtern solte / bey hohen pönen gebothen / gewaltiglich
überzog / und meines väterlichen ererbten Fürstenthums vertrie-
ben haben / ohne alle vorher ergehende rechtliche erkantnuß / verhör
oder citation / und also lauterlich wider recht und billichkeit. Das
mag Gott sey lob / nimmermehr anderst beygebracht werden / dar-
aus auch E. Keyserl. Majestät / aus hohen verstand gewaltiglich
schliessen mögen und werden / daß mir solche entsetzung gewalti-
gich / unbillich / und wider recht / den Landfrieden / und aller des Heil.
Reichs ordnung / welche klarlich vermögen / daß ohne rechtliche er-
käntrnuß / niemand des seinen / zuvoran des mehrern theils sei-
ner substanz und nahrung entsetzt werden soll / begegnet ist. Für-
nehmlich dieweil Ihrer Keyserl. Majestät in Ihrer wahl und krö-
nung / alle und jede handlungen des Heil. Röm. Reichs Vicarien /
und also daß obgemelte fried-gebohte Pfalzgraw Ludwigen con-
firmirt und bestätiget haben. Und bin also desselben meines er-
erbten und väterlichen Fürstenthums / Land und Leuthe bishero ent-
setzt blieben bis auf diesen Tag. Und ist solch Fürstenthum / Land
und Leuthe in hände dero selben Keyserl. Majestät Bruder / König
Ferdinands ohne rechtmäßigen titul / u. allein thätlicher weise durch
widerwärtige handlung / mir zum nachtheil reichende / gewachsen.

XXIII. Reutlinga ergo erat, civitas Imperialis, & socia
Foederis Suevici, cujus intra moenia saltuarius Ulrici, non tamen
temere, uti illud insimulabat Dux, sed, quod re cognita testatus
est Carolus Imp. ap. Hortl. *loco superius citato*, da er sich in der
stadt Reutlingen mit etlichen bey dem wein / und nicht von wegen
seines ampts sachen / zertragen / interfectus est, quæque privati cæ-
dem libertate sua, civiumque bonis potioribus luit. Obsedit
enim istam Ulricus ipso exequiali Maximiliani Cæsaris die, & pau-
lo post expugnavit civibus in fidem & deditionem receptis.
Ægerrime ferebant hoc factum Foederati Sueviæ, pactorumque,
quæ inter se habebant, memores, vindicias secundum libertatem
postu-

postulatas Reutlinganis non denegabant, sed exercitu subito contracto, eo, quo diximus, modo injuriam ab Ulrico illatam vindicabant, parum vel nihil curantes Palatini Principis imperia, quæ Dux literis ad Carolum Imperatorem datis prætendit, probe gnari capituli illius, quo vel ab ipso Cæsare pridem ipsis confirmata gaudebant potestate, daß/so ein Bundtsverwandter/von jemand mit Gewalt/ in was wege das geschicht / vergewaltiget wird / die Bundtsstände die gegenhandlung/ den krieg/ die betrettung und wiederholung des gewalts erkennen und vollziehen mögen / ohne einig vorhergehende rechtfertigung. Unde ipse Carolus l. c. his etiam verbis usus: zu erholung dessen gewalts gemeinen Bundtsständen ihr hievor geschriebenes fürnehmen in krafft der einigung gebührt / auch sonst die meisten Bundtsstände / für sich selbst keinem Vicariat unterworfen / noch den vergewaltiger Ulrichen mit recht zu ersuchen schuldig gewesen. Alias causam ducis non parum aggravabat, quod infestam adversus Reutlingenses expeditionem tempore interregni suscepit, & quidem, uti Caroli verba habent, wider seine pflicht/damit er dem Heiligen Reich verwandt/wider den gemeinen Landfrieden/ auch wider den verbrieften schirm und rechtlichen austrag / damit er denen von Reutlingen verschrieben gewesen/ gehandelt / damit crimen læsæ Majestatis begangen / unsern Bundt zu Schwaben an einem seiner glieder angegrieffen/ und vergewaltiget hat/ und mit der that in die acht gefallen ist: quæ, si vel maxime durissima & principe indigna tractatio conjugis Sabinæ, regimenq; tyrannicum ac injustum, de queis Hortlederus lib. XIII. c. 2. & 3. legatur, abfuisent, debellationi susceptæ omnino suffecissent. Num autem Fœderati occupando ducatum aliud sibi jus acquisiverint, quam quod acquirere per pactum Fœderis,

E

jus

ius commune, Auream Bullam & consuetudines in Imperio receptas licuit, nempe, uti exponit Strauchius *Exoteric. l. c.* ad tuendam pacem, conservandam justitiam, & in poenam: jus v. g. proprietatis & detrahendi istum in alienam familiam? quæstio est à nostro scopo alienior, & Doctoribus Juris Publici merito relinquitur. Minimum hoc videtur, contrariari istiusmodi alienationem primæ instituti ducatus legi à Maximiliano I. latæ, ex cujus sententia ducatus Wirtenbergicus Imperii beneficium eo jure erat, ut si quid forte esset à cliente contra fidem beneficiariam admissum, aut si ad eum casum res devenisset, ut in familia clientelari mas nullus superesset, ager ille fieret publicus, ac fisco & ærario imperiali addiceretur: videatur pluribus Instrumentum beneficium apud Hortled. *lib. III. c. I.* item Epistola Galliarum Regis Apologetica ad Ordines Imperii apud Freherum *Tom. III. p. 335.* Legi etiam possunt, quæ in utramque partem prolixè & erudite disputat jam laudatus Strauchius *Exoteric. l. c.*

XXIV. Interea utriusque & Wirtenbergici & Teccii ducatus beneficium Ferdinandus à fratre Carolo Cæsare anno c^o 1530 in comitiis Augustanis accepit, nihil id impediens Imperii Principibus; quamvis notari mereatur clausula consensus eorum exhibita à Christophoro Duce apud Hortlederum *lib. III. c. VIII.* ubi contestatur haud secus consensisse Ordines, *denn männiglich an ihren rechten und gerechtigkeiten unvergriessen.* Grave alias est responsum Caroli in iisdem comitiis Philippo Landgravio supplici, ac veniam reditumq; in patrias terras Ulrico exuli Duci expetenti datum: *ferro, inquit, suo perdidit ditionem Ulricus, ferro, si potis est, eam recuperet.* apud Crusium *Ann. Suevic. p. III. lib. XI. c. V.* & Joh. Pedium Tethingerum, *Comment. Wirtenbergic. lib. II. apud Schard. Tom. II. script. rer.*

rer. Germ. & fere dixerim, classicum belli. Hoc ipso enim Imperator omnium Principum animos infestos sibi reddidit; è contra autem Ulrico ejusque causæ eos etiam conciliavit, quos maxime læserat, affines Bavariæ Duces, qui haud parum poterant apud Fœderatos Sueviæ, & auctoritate suâ, & consilio occulto Christophoro, Ulrici Ducis filio, tabulas fidei publicas impetrabant, in comitiis, anno cIo Io XXXIII à confœderatis habendis, non solum tuto comparendi, sed, quod mirum erat, causam suam & parentis in cœtu confœderatorum publicè dicendi. Francisci etiam Galliarum Regis præsidio eum muniebant. Hic enim causæ justitiâ motus Langæo, quem ad novi Fœderis Smalcaldici socios, ut cum iis amicitiam contraheret, miserat, in commissis dedit, ut una cum aliis Regum ac Principum oratoribus comitiis interesset, & causam Principum Wirtenbergiæ commendaret tam fœderis Suevici Proceribus, quam legatis Cæsareis, iisque qui Ferdinandi nomine adfuerint. Noverat autem idem Gallus, quod Ferdinando, quamvis simularet, se non ea solum facturum, quæ jure deberet, sed & omni humanitate erga Principem usurum esse, animus non esset restituendi ducatum, potius eo nitendi, quomodo tueretur possessionem ejus, eumque maxime in finem cogeret conventum, ut de Fœdere prorogando deliberaretur, in quo ingens præsidium habere videbantur Romanarum partium Principes, & speciatim Austriaci in dicta causa Wirtenbergica.

XXV. Hoc ipsum autem Fœdus Suevicum, cum consiliis Gallicis obstaret, Rex Langæum omni ratione jussit conari, quomodo illud non instauraretur, sed irritum fieret, notante Martino Bellajo *lib. IV. de rebus Gallicis*. In quam sententiam ut potentiores ejus fœderis Principes & Status oratione induceret, eo facilius ipsi fuit, quo ma-

gis intellexit, ipsosmet declinare illius prorogationem; præsertim, quum Wirtenbergicæ regionis occupatio salvo fœdere illo tam facilis executionis non foret. Et sane Landgravium, quod attinet, is jam d. 16. Martii an. cIo Io XXXIII. literis Electori Ioh. Friderico, Saxoni, significavit, conventum renovandi fœderis causa Nordlingam d. 23. Martii indictum fuisse, sed se cum Electoribus ad Rhenum in quadam societate esse (*habe ein verbündnus mit ihnen*) & Civitates superioris Germaniæ à Fœderis Suevici continuatione abhorrere; se itaque eo allaboraturum, ut dissolvatur. B. Seckendorffius, cui hæc debemus, observat, probasse hoc consilium Electorem, factumque esse, ut dilatus fuerit conventus Nordlingensis, & mense Novembri ejusdem anni Augustæ habitus. Nec mirum istud est, cum pridè Fœdus Suevicum Saxoni fuerit suspectum, & id propter in Fœdere Smalcaldio adversus vim, quæ ab eo, sub specie exsequendi decreta Cæsarea, aut Camerae, metuebatur, aliquid provisum: Seckendorf. *lib. II. §. II. lib. III. §. I. & XIX.* Odiosum nimirum erat præter alia Suevorum gesta, maxime oppressi Ulrici Wirtenbergici exemplum, & vel ex iis Camerae processibus & decretis à clero impetratis, quibus societas Episcoporum & Prælatorum, qui maximam fœderatorum partem constituebant, Augustam, Norinbergam, Ulmam, aliasque fœderatas Augustanæ Confessioni addictas urbes divexabant, quorumve executionem fœderati Suevi haud illubenter suscipiebant, colligere erat, quid boni reliqui Protestantium sperare possent. Hæc interim procul dubio causa sunt, quare laudatæ civitates finem Fœderis Suevici ita avide cupiebant, & ut in societatem Fœderis Smalcaldici reciperentur, sollicitabant.

XXVI. Convenerunt nihilominus ad mandatum Cæsaris & Ferdinandi, qui quasi caput Fœderis erat, proce-
res

res & legati foederatorum Augustæ, mense Novembri. Wolfgangus, Comes Montfortius, & Marquardus à Stain, Canonicus & Præpositus Augustanus, Cæsaris & Ferdinandi nomine aderant cum imperio. Comparebat etiam Christophorus, Ulrici Ducis filius, cum Langæo, Gallia Regis oratore, & legatis Regum & Principum Germaniæ potentissimorum suffraganeis, quorum catalogum lege sis apud Martinum Bellajum *lib. cit.* p. 143. Tractatus mox institutus inter alia de causa Wirtenbergica, quam primus ipse Dux Christophorus in cœtu confœderatorum mox etiam Langæus duabus gravioribus orationibus dixit: sed dum utraque pars & commoda propria, & opportunitatem temporis respiciebat, conveniri non potuit. Interim nec in Fœderis continuationem, quod maximè contendebant Romanenses, Protestantes consenserunt, quin imo Bavarie etiam Duces renunciarunt Ferdinando amicitiam, & à partibus Philippi, Hassiarum Landgravii, steterunt, Ulricum cum omni ope adversus Ferdinandum adjuturi. Ex hoc igitur antiquatum est Fœdus Suevicum, quod quinquaginta fere annos magno Imperii, & Austriacorum in primis, emolumento steterat, & in iis ipsis comitiis abrogatum, quæ ejus prorogationi fuere destinata, non sine plausu exterorum, quibus sæpius terrori fuerat, sed &, quod facile colligere est, Ulrici ipsius, qui ex optimo Philippi consilio, ingenti auri argentique summa à Galliarum Rege mutuo accepta, bellum omni studio paravit, mox sedes avitas infesto circumseptus milite repetiit, pulsus Austriacis occupavit, & denique ex transactione Cadanensi relicta à Ferdinando in fidem suam recepit. Hortled. Conf. *lib. III. c. XII. & XIII.* Sleidanus *lib. IX. de Statu Relig.* aliiq;

XXVII. Quam cæteroquin Ferdinandi interfuerit, ut Fœdus Suevicum etiam post amissum Ducatū Wirtenbergicum

44
77
1300

restabiliret, ex literis ad Marchionem Georgium, aliosque
datis constare potest, in quibus nihil omisit, quod ad amici-
tiam & societatem istam redintegrandam faceret. Nec
omnino frustra fuere ejus conatus. Prout enim ex lite-
ris Georgii ad Electorem Ioh. Fridericum nos docet Se-
ckendorfius *l. c.* plures Principes denuo consenserant, in
quibus etiam *Georgius*, excipiens tamen pacta *Cadanensia*
& *Norinbergensia*, & *Salisburgensis*, *Aichstettensis*, *Bamber-*
gensis, *Augustanus*, Præsules, *Bavari* fratres, *Otto Henricus*
Palatinus, & alii. Landgravium etiam benignis literis so-
licitaverat Rex, d. 18. Novembris an. MDXXXIV. Quin
etiam Sueviæ civitates, quæ jam recesserant à societate,
& in his primam Augustam, quam ob Zvinglii doctrinam
hactenus Fœdere Smalcaldico excluserat Elector Saxo, sibi
& sociis facile conciliaffet, nisi Philippus, qui Austriacorum
astutiam penitus noverat, Electorem monuisset, ut Au-
gustanos fœderi novo adscriberet, ne forte cum aliis Fer-
dinandi partes arriperent. Cunctatus aliquandiu Elector,
tandem ea conditione eos admisit, si à Zvinglianismo re-
cederent. Quod ubi factum fuit, reliquæ etiam urbes
Suevicum Fœdus sunt averfatae. Principes vero Gal-
lorum consilia & largitiones revocarunt. Seckendorf,
loco citato.

FINIS.

107

44

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Kodak
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



FOEDER
Des
DEO O.M. BEN
Amplisferno
IN
EAI
M. GEORGIVS
JOH. SEBA
DINCK
LITERE
LIBR-OTHECA
LEIPZIG

